

P I S A

1 6 0 8

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*Hd. 11.*



X  
10  
D. O. M. A.  
THESES DE SEXU,

*Sive*

DE NATURA  
ET ORTU MARIS,  
FOEMINÆ ET

Hermaphroditi,

*De quibus in illustri Vitebergensi*

*Academia*

Publicè disputabitur

PRÆSIDE

M. IOACHIMO FLEISSERO

Vratislaviensi,

*Respondente*

LEONHARTO BAUDISIO,  
Lignicensi Silesio.

*Ad diem 27 Februarij*

In Auditorio Philosophorum.

VITEBERGÆ,

Typis Cratonianis, per Johan. Gorman.,

ANNO M. DC. VIII.



VIRIS

*Et generis splendore & propria  
virtute nobilissimis,  
Titulis honorum Excellentissimis,  
Legum experientia clarissimis,*

Dn. D. ANDREÆ GEISLERO &c.

ET

Dn. D. IOHANNI BAPTISTÆ

REIMANNO, &c.

Iuris apud Lignicenses  
consultissimis,

*Dnn. Mæcenatibus & Affinibus suis ut ma-  
gnis, ita magno etiam reverentia debi-  
ta cultu semper dignis, sibiq; ma-  
ximè suspiciendis,*

Hanc de lexu διασκευω

*Amoris & honoris gratia,*

*sacram esse jubet*

L. B. RESPONDENS.



T H E S E S  
D E S E X U.

THESIS PRIM A.



**A**nimatum non nisi à Deo originem trahere Platonis in Epinomide est pronunciatum; qui alibi ortus humani effectores, quâ partem immortalem Deum Opt. Max. quâ cætera Deos juniores constituit, sive intelligentiam separatam, Avicennæ Cholcodeam, sive cœlestem mundi animam formarum datricem Fernelij, sive alium quemcunq; externum motorem intellexerit.

II.

Ita divino Philosopho hominis *μικροκόσμος* propagatio divina planè & cœlestis est. Qui si remotas causas intellexisset, optimè sanè sensisse judicaretur. Natura quippe ordinaria Dei potestas & divinitatis instrumentum est. *Lemm. occult. lib. 1. cap. 1.* quin & superiores formæ conservatrices sunt inferiorum, quoniam ipsa causarum causa tuetur ea quæ fecit per ea quæ fecit, ut pulchrè Scaliger *Exerc. 6. sect. 5.*

III.

Propior tamen causa addenda fuit. Oportet enim generationis principium à propinquo aliquo generante proficisci, cujus vis ab alio generante, quod externum est, juvetur, cum primus motor non tam movere quam motores dare censeatur. *Id. ex. 6. sect. 1. exerc. 7.* intelligentias autem cœlestium quidem corporum motrices, non autem formarum productrices Peripatetici agnoscunt; & hoc rectè quidem, illud ex placito. Quod si Sol & homo generant hominem. *2. Phys. 2.* ille tanquam generans universale & remotum.

IV.

Proximus motor est homo. Is, vero mas & fœmina *ἄρσεν*

A 2 *775*

τῆς γενέσεως *de gen. an. lib. 1. c. 2.* alter alterius causa, unde mutus appetitus, qualis materiae ad formam *1. Phys. 9. & contra, Fernelio;* uterq; vero tertij similes gignendi causa, quod φυσικώτατον ἔργον est Philosopho *2. de an. 4.* Voluit enim natura ad speciei conservationē in homine & perfectioribus, inter cætera, animalibus duo individua concurrere, quorum utroq; suo quodam modo agente, aliud in specie individuum producat.

V.

Quo vero naturæ consilio id factum sit, quæ utriusq; natura, quod officium, qui ortus, non minus explicatu difficile quam controversum est. Non hæc ad Medicos remittenda sunt, ad quos affectionum naturalium quatenus talium θεωρία non spectat *Zab. const. sci. nat. c. 33.* neq; ideo, quod Epicuri de grege porcus aliquis hac contemplatione abuti possit relinquenda: cum sapientibus potius ex principijs naturalibus hæc omnia deducenda sunt; id quod sequentibus aliquomodo præstare libet.

VI.

Philosophum διακριτικὸν καὶ χωρικὸν esse oportet. Idem hic requiritur. Sunt enim mas & fœmina ex eorum numero, quæ per adsignificationem sive concretionem, quam vocant, Physicam accidentis cum suo subjecto concipiuntur, & principaliter ipsum accidens ceu formale, secundario subjectum sive materiale significant, quæ utraq; in essentiæ ipsorum consideratione perpendenda veniunt.

VII.

Affectionum aliæ simplices sunt, aliæ conjunctæ *Fonseca 4. Metaph. 2. q. 5. f. 2.* Suarez disjunctas vocat *disp. 3. f. 2.* quarum posteriores subjecto suo conjunctæ adæquantur, de eo autem non nisi disjunctivè prædicantur, quemadmodum paritas & imparitas de numero *1. post. t. 75.* Istis formale, sive accidentia, marem & fœminam constituentia annumeramus, utpote quæ in diversis individuis ejusdem speciei reperiuntur, nihilominus καθ' ὅλα τὰ ζῷα λέγονται, ut loquitur Aristoteles *1. Gen. an. 3.*

VIII.

Humanitas namq; in viro alia non est quam in fœmina: forma tamen accidentaria in utroq; diversa, in cæteris itidem. Unde  
mas

mas & foemina specie non differunt. *10. Met. 8, 1. gener. an ult.* nisi forte hominem genus hominum singulorum, & homines singulos species hominis statuere libeat cum *Ramo lib. 1. Dial. c. 27.* quod tamen non sine ratione negat Philosophus *3. Metaph. t. 11.*

IX.

Accidens hoc formale sexus dicitur: masculus & foemineus. Cujus investigandi modum ostendit Aristoteles, quando Musicam scientiam esse inde colligit, quod Musicus sit sciens *Et c. 4. Top. 4.* quem imitati nos etiam id quod differentiam maris & foeminae constituit ipsum sexum constituere colligemus.

X.

Duplicem autem differentiam ipse constituit Aristoteles: unam *κατὰ τὸν λόγον*, quod facultas utriusque diversa est: alteram *κατὰ τὴν αἰσθησιν* quod partibus quibusdam discrepant *1. gener. 11. 2.* Ex quibus alteram principalem constituentem, alteram secundariam consequentem esse oportet, cum ratio formalis non nisi in una differentia consistat.

XI.

Anatomici in externis occupati in posteriori acquiescunt, Philosophus priorem praefert. Non enim facultas propter partes est, sed partes propter facultatem, adeoque natura posteriores. Itaque ipsi mas est *τὸ οὐνάμενον εἰς ἕτερον γεννᾶν* foemina verò *τὸ εἰς αὐτὸ* *ibid.* & consequenter sexus potentia generandi vel in seipso vel in alio: haec masculinus, illa foemininus.

XII.

Sexum ergo in Categoriā qualitatis reponimus, & potentiam naturalem conjunctam dicimus; quam posteriorem differentiam vulgo neglectā ipsis etiam potentijs accommodari oportere manifestum est, cum citra eam verum hujus & si quae sunt, similium affectionum proximum genus nemo investigare possit. Sed qualis sit porro videamus.

XIII.

Cum in maris & foeminae descriptione generationis mentionem facit Philosophus, non intelligit quamvis mutationem ex non

A 3

subje-

subjecto in subjectum, neq; omnem substantialem generationem: sed eam duntaxat, quæ certis conditionibus ad viventia restringitur. *Zab. facult. an. c. 11, Conimbr. de gen. lib. 1. c. 4. q. 9.* adeoq; potentia etiam generandi in se vel in alio ita strictè accipienda est.

#### XIV.

Ea vero vel prima est vel secunda. Non secunda (pro ut accipitur à Piccolomineo *de sens. vis. c. 20. Keckerm. syst. Log. lib. 1. c. 9.*) Quia infantes etiam, senes alijq; propter partium *δυσαναρίαν* aut *ἀσυνμερείαν* impotentes sexum distinctum habent; spadones etiam mares sunt, quamvis imperfecti *Vulpei. Iurisp. Rom. lib. 1. c. 4.* quod tamen respectu potentiæ secundæ solummodo intelligendum est.

#### XV.

Prima itaq; est, adeoq; ipsa animæ vegetalis facultas generatrix, certis & distinctis modis in quibusdam animatis ab ipsorum natura cum distinctione dependentibus limitata, à qua neq; ratione saltem, neque realiter etiam, sed modaliter, ut vocant, sive ex natura rei distinguitur, adeoq; potentia ea quæ in mare est, ab ea quæ in fœmina specie non differt. Quæ de re tamen aliorum Philosophantium iudicia audire libet.

#### XVI.

Quid autem sit generare in seipso & in alio, non eadem omnium est sententia. Qui formam separata causam generationis efficientem statuunt, parentibus materiam tantum relinquunt, & materiæ pro formæ introductione à calore dispositionem. Ex quorum sententia sexus differentia in eo consistet, quod vel alterum altero plus materiæ aut caloris conferat, vel quod mas materiam tantum conferat, fœmina vero non conferat tantum, sed in seipsa etiam elaborat.

#### XVII.

Verum rejecta hypothesi, de qua subtiliter Scaliger *exerc. 6. sect. 5.* consequentia etiam rejicimus, & parentibus non instrumentariam tantum, sed principalem actionem ascribimus, sine qua etiam ipsos revera parentes esse negamus.

#### XVIII.

Aristoteli mas quæ mas agens est, fœmina quæ fœmina patiens *Zab. fac. an. c. 11.* unde marem cum cœlo, fœminam cum materia  
compa-



comparat *1. gen. an. 2.* & foeminam corpus producere, marẽm formam, affirmat, *4. gen. an. 4.* qui etiam semen maris sicut coagulum ad lac, fabrum lignarium ad lectum, ita ut ejus pars non sit, se habere scribit *1. gen. an. 20.* foeminas autem non nisi sanguinem in materiam conferre statuit, utpote quæ femine vero desituantur.

### XIX.

Medici pleriq; utrumq; negant, utriq; sexui semen ascribentes *Fernel. 7. Physiol. 6. Laur. lib. 8. q. 5. &c.* & quidem ea ratione, ut & foemininum cum masculino agere, & hoc cum illo materiae locum sustinere affirmant: ita tamen ut majorem agendi facultatem viro ascribant, plus autem materiae à foeminâ, quippe præter semen sanguinem etiam, conferri autument.

### XX.

Nos sententiæ ipsorum rationi omnino consonæ subscribimus, adeoq; marem à foeminâ in eo differre concludimus, quod ille in alio individuo sive suæ sive propinquæ speciei semen prolificum motus principium conferendo: hæc vero ex alio individuo semen suscipiendo & debilius cum sanguine materno conferendo, utrumq; etiam fovendo in seipsa generat.

### XXI.

Propter hanc virtutis generativæ diversam ad operationes *χείρ* membra etiam in utroq; sexu diversa efformavit natura, pro varietate animarum variantia, semini partim præparando & elaborando, partim emittendo aut concipiendo dicata, quorum Anatomicam considerationem nostram non facimus.

### XXII.

Ad eam, quæ *χρῆσ* est diversitatem refertur etiam temperamentum, in mare communi Authorum consensu ut plurimum calidius in foemina frigidius, aliæq; differentiæ ab accidentibus quibusdam externis desunt *Arist. 4. hist. an. 11. &c. Cardan. var. lib. 7. c. 27.* quæ quia in omnibus singularibus perpetua non sunt, sexum formaliter non constituunt.

### XXIII.

His ita excussis materiale etiam investigandum est, quod  
sic

fit *πεῖρον δὲ κενόν* hujus affectionis. Et sane de inanimatis, quod in ijs sexus non habeatur, dubitari non potest, cum in ijs potentia generandi ante limitata non detur. Quod vero Metaphorice stellis sexus attribuitur *Casman. Astrol. part. 1. c. 9. q. 2.* id nos non movet.

XXIV.

Fortunius Licetus Aristotelem unamquamque plantam promiscuè marem & foeminam statuere scribit; à cujus sententia ipse recedens omnes masculino sexu praeditas affirmat, eò quod ipsae non concipiant & in sese generent, sed in terram tanquam foeminam semina ejaculentur, in qua etiam generatio perficiatur. *de ort. an. lib. 1. cap. 8.*

XXV.

Verum neque uterque neque masculus tantum sexus plantis attribuendus est, id quod etiam Aristotelem sensisse constat & vel ex eo colligere licet, quod ex caeteris animatis, multis sexum, plurimis in locis denegat, quae cum in seipsis generare concedat, omnia foemini vel potius utriusque sexus ex hypothese censenda forent.

XXVI.

Generare autem in alio non ita late accipiendum est. Quemadmodum enim non quavis generatio viventis generatio est: ita nec quavis quoquo modo in alio generatio maris generatio est, quae propterea restringenda fuit.

XXVII.

Illam verò tantummodo intelligenda est, quae post conjunctionem duorum individuorum ejusdem aut propinqua speciei in utero aut membro alio organico cum hoc *ἀναλογίαν* habente, perficitur, quam coitum vocant, quemadmodum Aristoteles hac voce ita strictè utitur *probl. 64. f. 10.* Hic enim proximus sexus & membrorum consequentium finis est; generatio verò remotior & talis, quem etiam citra sexum consequi licet.

XXIIX.

Remotis plantis restat animatum sentiens, sive animal (modo ambo pro eodem accipiantur) quo comprehendimus corpus etiam humanum, ratione cujus ipse etiam homo sexu praeditus est. Etsi enim Aristoteles primo de anima doceat, accidentia physica rotius esse suppositi; ex ijs tamen alia insunt animae propter corpus, alia  
contra,

contra. Placet sexum corporis sentientis affectionem vocare. Spiritui enim humano nulla variatio inest ratione sexus, nisi per accidens, quatenus debilius calor ingenium facit debilius, atque ita ratione potentiae secundae saltem & operationum.

XXIX.

Porro nec omni inest, ut Aristotelis omniumque eorum, qui historias animalium scripserunt, consensus docet, itaque magis adhuc subiectum hoc limitandum est. Animalium ergo quaedam aequivoce tantum, quaedam univoce tantum (puellum enim est limo Cardani aliorumque natum adulterae Aesopicae cum Scaligero defendendum committimus *Exer. 193. si.*) quaedam utroque modo generantur. *Aristotel. sect. 10. probl. 58.* Ex quibus ea quae ex putredine producuntur sexu carere affirmat Philosophus, ea intelligens, quae tantum.

XXX.

Ex caeteris quaedam in seipsis gignunt semen ex sanguine superfluo, ex quo etiam solo concipiunt & foetum formant, aut alio quoquo modo sine coitu generant *Lang. lib. 2. epist. 8. Scal. ex 15.* quae itidem sexu carere credibile est, cum in utrisque eadem militet ratio, quae in plantis. Quanam autem quoquo modo generent laboriosa potius observatione quam ingeniosa speculatione eger.

XXXI.

Concludimus tandem Marem esse animatum sentiens, praeditum potentia per coitum generandi in alio. Foeminam in seipso.

XXXII.

Et naturaliter quidem singula eorum quae subiecto continentur unicum duntaxat sexum habent. Nam de hyena quod scribit Plinius *lib. 8. c. 20.* falsum esse ex Aristotele manifestum est *6. hist. an. 32.* de leporibus autem quod ex vulgo quibusdam creditur ipsis utramque gignendi vim inesse vana est persuasio *Theriotroph. Silesiae tit. lepus.* de cervo etiam quod scribit Langius in quo hinnulus repertus sit *lib. 1. ep. 70.* plane singulare est & sine exemplo simili.

XXXIII.

Παζα Φύων autem utrumque sexum aliquando coniungi, id vero negari non potest de quibusdam singularibus, quae quia virum pariter & foeminam repraesentant Androgyni dicuntur & Hermaphroditi.

B

Dici-

XXXIV. *Παρεξέχου* quia *παρεξέχου* φύσεως quæ se-  
xum in perfectioribus distinctum intendit, propter materiæ autem  
confusionem confundit, imo plerumq; sine suo frustratur, unde her-  
maphroditum inter ea referimus, quæ licet sint ex natura, tamen  
non fiunt per se à natura, ut alicubi loquitur Albertus M.

XXXV.

Hermaphroditus itaq; est monstrum in animato sentiente per  
coitum generante utrumq; sexum representans.

XXXVI.

Monstrorum cum aliud sit in conformatione aut specie, aliud  
in sexu; illa communia sunt omni animato, hoc vero sentienti & qui  
dem non cuivis proprium est. Tam latè enim necessariò patet quam  
sexus: Unde *πρώτων* *ὑποκείμενον* ejus idem quod sexus assi-  
gnandum fuit.

XXXVII.

Formalis ipsius ratio est representatio utriusq; sexus, quo ad  
vim gignendi & in seipso & in alio. Cum enim mas sit & fœmina,  
utroq; etiam cum disjunctione ista constituenta conjunctim præ-  
ditus sit oportet. Unde membra etiam genitalia utriusq; sexus ha-  
bet non modo externa, sed interna etiam, quod Columbi sectio o-  
stendit, *anat. lib. 15.* quorum tamen non in omnibus eadem est collo-  
catio *Laurent. lib. 8. q. 14.*

XXXVIII.

Apparet hinc, quid sentiendum sit de illa quæstione: cui sexui  
annumerandi sint hermaphroditi. Philosophicè respondemus, neu-  
tri soli, quia formaliter ab utroq; constituuntur. Sicut autem poten-  
tia prima generandi simpliciter in omnibus individuis æquè perfecta  
est, ita etiam potentia hoc vel illo modo generandi, adeoq; in quo  
utraq; est, in eo utraq; æquè perfecta est, licet vix altera in actum pro-  
ducatur.

XXXIX.

Quia tamen actiones & officia civilia utriusq; sexus ab uno &  
eodem ferè administrari non possunt & consequenter neq; jura utri-  
usq; eidem communicari debent: optimâ ratione LLatores & Jcti  
ad potentiam secundam & instrumenta respicientes ejus sexus æsti-  
mandos statuunt, qui in illis prævalet, & in quo magis incalescunt  
*Spekhn. quest. Jur. cent. 1. q. 76.*

Sed

XL.

Sed quid de fœminarum in viros mutatione statuendum ? Cujus rei exempla quæ passim in Authoribus habentur & de ijs judicia præter alios collegit M. Weinrichius *de monstris cap. 50.* Placet Senecæ citatum quo ad sexum etiam : Omne animal donec moriatur hoc idem est quod cœpit. Interim quod scribunt isti Authores : membrum genitale intus latitans erupisse &c. ipsis non negamus : ex mulieribus autem mares verè factos esse non arbitramur.

XLI.

Exempla quæ isthic habentur, vel nympharum aut carnis masculosæ augmento, vel uteri prolapsioni adscribi non possunt, quod cui vis cum judicio legenti patet ; credibile etiam non est, non potuisse ejusmodi quid à membris genitalibus eos discernere, qui vel ipsi inspectores hæc scripserunt, vel alijs scribenda communicarunt.

XLII.

Cardani verò opinio non omnino videtur improbanda, nisi quod eos omnes ante & post fuisse pueros sentire videtur, quod majorem difficultatem parit : Si enim menses ipsis fluxerunt, si in conjugio vixerunt, si fœcundæ fuerunt, non dicendum est eos pueros aut adolentes solummodo fuisse.

XLIII.

Credibile itaq; est, eos in quibus ista vere contigerunt fuisse hermaphroditos, quibus ob sexum fœmininum modo dicta contingere potuerunt, donec alterius sexus membrum externum ea ratione, quæ Cardanus explicat ad virilem jam ætatem e vectis naturali imperu prorupit, ita ut prior sexus omnino abolitus videri potuerit, barba etiam ætate jam matura proveniente, & sanguinis materni eà copia quæ profluxum ciere potuerit generatione impedita, quippe temperamento immutato & sexu masculino magis quam antè sese exerente. Aliter si non miraculose ista non contigerunt.

XLIV.

Præter Androgynum aliud Laurentius in sexu monstrum ponit, de quo dubites mas sit an fœmina *loc. cit.* Nos hoc monstri genus, si forte datur non in sexu, sed conformatione & solo defectu membrorum situm esse, pronunciamus. Si enim in sexu esset ; formaliter neq; potentiam generandi in se neq; in alio primam haberet, quod statuendum non est, licet propter defectum organorum eam quo ad neutrum sexum in actum deduci posse facile largiamur.

XLV.

His ita expeditis causa *συνη* harum affectionum nunc investiganda est. Ubi litem de novo non movemus Astrologiæ patronis, qui ut alia, ita hæc etiam *πρωτη* constellationibus alijs atq; alijs ascribunt. Novimus enim ex Philosophicis principijs, stellas non nisi remotam indeterminatamq; causam esse ortuum sublunarium, quæ pro dispositione cujusq; adjuvando saltem causat.

XLVI.

Propior itaq; causa quærenda, quam vel in utero vel in semine aut sanguine materno latere oportet. Nam si forte phantasiæ hic aliquid attribuendum censebunt ij, qui etiam animantium specie differentium generationem, imaginationi ascribunt: id ipsis non concedemus.

XLVII.

Cum enim signationem fœtus spiritibus ascribant, certum autem sit, quod ea, quæ ab imaginatione perceperunt, saltem imprimere possint, solius vero externæ constitutionis imaginem hauriant, non ipsius potentiæ, non membrorum interiorum; consequens etiam est, ista imprimi non posse, sine quibus tamen sexus non est, multo minus formam internam quæ speciem mutet, quamvis ea quæ temperamentum insequuntur accidentia externa imprimere possint, unde phantasiæ quod liberi parentibus assimilentur aliquando ascribit Aristoteles *f. 10. probl. 10.*

XLVIII.

Ex antiquioribus quidam in utero septem cellulas constituerunt, quarum tres dextras masculo, oppositas tres fœminæ, medium androgyno gignendo attribuerunt. Verum anatomia crebrior usque huc id fabulosum ostendit, & unicam cavitatem non nisi linea quadam distinctam in eo contineri monstravit.

XLIX.

Dubitari tamen nihilominus potest, an non lateribus aliquid hæc in parte ascribendum sit, cum dextrum masculinum, sinistrum fœmininum appellari soleat. Quod si ita est, vel à calore, vel à peculiari aliqua virtute proficiscitur.

L.

Non à calore, de quo postea. Neq; à virtute aliqua. Non enim vis formatrix in ipso ulla est, ergo neq; formatrix sexus; fovet enim

& ex-

& excitat solummodo virtutem illam quæ in semine est, quemadmodum terra, cui Aristoteles ipsum comparat 7. pol. 16. in quo etiam non defectus virtutis, sed intemperies, quemadmodum in terrâ, sterilitatis causa est. Unde uterum causam non esse concludimus.

L I.

Restat semen (sanguini enim hac in parte cum merè passivè sese habeat, nihil ascribi potest) quod cum ab utroq; parente & quidem in utroq; ex duplici teste δύναμιν σπέρματοςπηλικήν habente promatur: aut alterius sexus semen, aut ex altero testium genere, aut ex utrisq; particulam aliam atq; aliam prædominantem causam, statuere necesse est. Quartum non datur. Abundantia enim & defectus in conformatione quidem locum habet, non autem in sexu.

L II.

Quidam marem à mare, fœminam à fœminâ, quemadmodum hominem ab homine &c. generari statuunt. Quæ opinio præterquam quod omnium Philosophorum quamvis dissidentium de officio maris & fœminæ placitis adversatur, in Theologia etiam ενσάρκωσιν & λόγῳ tollit: insuper hoc consequens absurdum habet, quod fœmina absq; mare κατὰ φύσιν generari possit, siquidem ipsa & materiam sufficientem habet, motum etiam, cum fœminam gignit, semine masculino pereunte sola confert.

L III.

Alij ex primarijs dextrum testem ἀρρεγόνον, sinistrum θηλιγόνον vocant, & illum si hircire incipienti intumescat, marem; hunc fœminam generare statuunt. Verum neq; hoc satis firmum est. Si enim propter calorem hoc fit, quod illi statuunt, priori potius sententiæ subscribendum foret, cum uterq; fœminæ testis utroq; maris frigidior sit, minusq; dilutus. Quin & utrumq; non raro, si non plerumq;, intumescere, sunt quæ persuadeant.

L IV.

Tertium itaq; statuendum videtur, dari videlicet in utriusq; sexus utroq; testiculo semen & masculum & fœmineum, hoc est, quod vel ad maris vel ad fœmellæ generationem aptum est. Id verò itidem vel à calore vel à peculiari aliqua virtute.

L V.

Unici caloris varietatem, sexus etiam differentiam producere  
B 3 licet

licet pleriq; statuant: nos tamen amplius aliquid requiri putamus. In confesso enim est, quod calor non nisi instrumentaliter agat, & facultati formativæ obsequia præstet: quomodo igitur diversissimorum membrorum formationis causa princeps esse poterit?

LVI.

Insuper quomodo hermaphroditi ortum à calore deducemus? Quæ enim causæ in diversis individuis utrumq; sexum efficiunt, eas ad producendum eum in eodem individuo concurrere oportet. Ergo calorem & debilem & intensum. Atqui calor debilis in eodem individuo concurrens talis non manet, sed alterum facit intensiorem, adeoq; gignetur mas potius quam hermaphroditus.

LVII.

Calor itaq; sexus causa sufficiens non est. Hoc tamen non negamus, quod semen ex quo mares generantur ut plurimum altero possit esse calidius; unde tamen non nisi temperamentum foetus ejusmodi, sanguine & utero non impediens, efficitur. Ex quo signa ea quæ Hippocrates, Plinius Albertus M. & alij habent *ὡς Ἰππὶ τοῦ πολὺ* vera, deduci posse arbitramur.

LVIII.

Neq; vero accidentia externa etiam calori soli omnia ascribi possunt. *Scalig. exerc. 158 sect. 4 Bokel. Anat. lib. 1. c. 23.* aliàs sequeretur, quod quoties foemina datur viro calidior, eam etiam barbatam virum imberbem esse oporteat, in cæteris itidem; quod si verum esset profecto virgo illa Austria, propter insolentiam à pictoribus hodiè lucra causa non circumferretur.

LIX.

Ponenda itaq; est virtus quædam ad sexum, in diversis seminum portiunculis latitans, quemadmodum in toto semine præter virtutem formatricem datur peculiaris potentia ad generandum tale, quale id est à quo provenit, ita ut ab equo equus generetur, à cane canis, quin & à molosso molossus, à catello catellus.

LX.

Quando itaq; semen utriusq; sexus ita disponitur, ut tota materia spermatica conspiret ad alterutrius dominium, naturâ ita intendente vel marem vel foeminam: quando autem ad æqualitatem permiscetur, androgynum præter naturæ intentionem generari credibile est.

Ex



## LXI.

Ex unitate itaq; *δυνάμειος πλαστικῆς* unitas sexus malè colligitur. Agit enim ea pro ratione materiæ, nec minus hoc pacto identitas specifica itemq; similitudo omnium animantium concluderetur, quod absurdum. Quæ aliàs *περὶ τῆς παρεκβάσεως* & de animalij occasionato proferuntur, fundamento suo ante destructo ipsa etiam corruerunt. *Vide Laurent. hist. anat. lib. 8. q. 1. Scal. exerc. 131. sect. 4.*

## LXII.

Seminis & quæ in eo est virtutis ad sexum etiam, in ijs quæ ex putredine orta sunt, sed aliter etiam quo ad speciem oriri possunt, locum supplet concretio & virtus elementaris ac cœlestis, quemadmodum ipsius etiam formatricis facultatis, istius quidem in toto quemadmodum virtutis etiam ad murem, scarabæum &c. *Cornimbr. 1. gener. q. 28. ar. 1. Scal. exerc. 26.* illius in diversis ejusdem particulis. Qua de re alibi ex professo.

*Hactenus de Sexu.*

Quæritur ΠΑΡΕΡΓΩΣ.

1. Utrum semen sit animatum.
2. Utrum animæ brutorum intereant.

*Θεῶ δόξα.*

F I N I S.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Fc 1249.  
gn

ULB Halle

3

003 422 747



Bitte noch kein

Sammelbd. verwenden

nach Ausleihe


an Retro-Ecke

OK

Zurück!

VD 17







10

C. A.  
SEXU,  
TURA  
MARIS,  
Æ ET  
diti,  
*Vitebergensi*  
tabitur  
DE  
FLEISSE RO  
ensi,  
BAUDISIO,  
ilesio.  
*39*  
*februarij*  
sophorum.

G AE,  
ohan. Gorman.,  
C. VIII.

